



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

De Benedictione Matrimonii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

quasi vererum peccatorum veniam non impetrandam. Iterum ratione Religionis factæ estis Christi Sponsæ, idem Orac. 15. Qui ea quæ mundi sunt, reliquerunt, digni facti sunt, ut D. JEAN Sponsæ sint, & in eius unitate permaneant. Propter hoc, inquit Apost. Ephes. 5. Relinquet homo Patrem & Matrem, & adhaerebit uxori suæ. Ita ut si Christus possit relinquere Patrem & Matrem, vos non desereret. De salute vestra certus vos facit S. Bera. Serm. ad FF. de monte DEI. Cella & cæli habitatio cognatæ sunt, quia sicut cælum & cella ad invicem videntur habere aliquam cognationem nominis, ita & pietatis. &c. Propter quod secundum formam propositi verbi laborantes potius in cælis quam in cellis &c. Quod geritur in cælis, hoc & in cellis, quodnam est hoc? Vacare & frui DEO, quod cum secundum Ordinem & pie celebratur in cellis, audeo dicere, S. Angeli DEI cellas habent procellis, & aquæ delectantur in cellis atque in cælis &c. A calo sapientiam cælum ascenditur, & vix moriens aliquis, aut nunquam, e cella in infernum descendit, quia vix unquam aliquis nisi in calo predestinatus, in ea usque ad mortem persistit. Omnium horum est ratio. Quia imprimis omnia peccata quæ in sæculo fecerit Religiosus, per ingressum ad Religionem veluti per Baptismum tolluntur. Hæc doctrina est Hieron. Damiani. Bern. Odilo. Cluniacem coll. 2. ubi ait. Eadem gratia datur in monastico habitu quæ in albis Baptismi. Et hanc gratiam dantur maxima media conservandi.

In Benedictione Matrimonii.

Fortasse non quisque cogitat etiam in cælo esse Matrimonium, siquidem quid ibi opus illo, ubi nemo moritur. Nam ideò res nascuntur novæ, quia antiquæ intereunt. Ideò flores novi, aviculæ &c. homines, quia Pater moritur.

Ac

At in cœlo id non est; ideo *neque nubent, neque nubentur*. At verò etiam in cœlo fuit semel magna pestis. Tercia pars Angelorum cum Lucifero mortua, opus supplere quod periit, non quidem per matrimonium carnale, *neque enim ibi nubent aut nubentur*, sed per spirituale, quod Christus habet cum Ecclesia, ex quo tamen nascuntur verè Filii; tale Matrimonium cum sit præstantissimum, proponam vobis pro exemplo quod novi Coniuges imitemini.

De quadruplici lego Matrimonio in scriptura. Primum est, Christi cum Ecclesia. *Sacramentum est magnum, hoc autem dico in Christo & Ecclesia*, ait S. Paulus. Secundum etiam spirituale, sed jam non totius Ecclesiæ cum Christo, sed uniuscuiusque nostrum singulariter, de quo idem Paulus. *Respondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo*. Tertium hominis cum homine, cui Christus interfuit in Cana Galilææ. Sed nullum horum Matrimonium fuit cui se non immiscerent Angeli. Contrahebat Christus Matrimonium cum natura humana, parabat cum Ecclesia. *Missus est Gabriel Angelus ad virginem &c.* Deinde Angeli alii accinuerunt. *Gloria in excelsis DEO &c.* Contrahit Christus cum Anima. *Gaudent in cœlis Angeli super uno peccatore penitentiam agente*. Fiebat tertium Matrimonium in paradiso, præerat illi Michaël; de illo canit Ecclesia, *Michaël præpositus Paradisi*. Contrahebat junior Tobias cum Sara, conciliavit hoc Matrimonium Raphael. Contrahebat Assuerus cum Esthere. Ecce Zach. i. *Responderunt Angeli qui stabant inter myrteta*. Myrthus ut scribit Plin. lib. 5. est arbor nuptiis sacra, & ipsa Esther alio nomine vocabatur Edissa, hoc est, myrthus. Sed etiam ipse Christus ubi est sermo de suis nuptiis in Apoc. *Uxor nuptiarum Agni*, se vocat Angelum. *Mensura hominis Christi, qua est Angeli*. Inque nihil melius conjugibus quam si vivant inter se, ut vi-

vunt nobiscum Angeli, & eorum monita audiant, & hoc est quartum Matrimonium, adhæret enim relicto coelo anima nostræ Angelus ut vir uxori, sunt duo in carne una, non deserit usque ad mortem.

Imprimis Angeli non suspicantur de nobis. Venerunt semel tres ad Abrahamum, unum ille adoravit, num alii duo suspicati sunt per hoc se contemptos? Imò cogitârunt id Abrahamum prudenter facere clamabant peccata Sodomorum, jam hic non solum suspicari sed credere oportebat, et verò Angeli antequam puniant, prius descendunt, ut videant an ita sit. Didicit hanc virtutem ab Angelis, & in conjugio Abraham servavit. Accepta fuit illius uxor à Pharaone, nihil mali de illa suspicatus. Posuerat Michol in lecto Davidis sui mariti statuam illi similem, quid hic suspicax diceret? At Michol hoc modo à morte Davidem eripuit. Quàm miser status, cum se nec movere loco, nec prospicere sine suspitione conjux potest, cum toties illud in detorto sensu auditur *Vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum* &c. Quoties aspicias per fenestram, toties vulneras.

Angeli nos in tribulatione solantur. De Matrimonio dictum. *Verumtamen ejusmodi tribulationem carnis habebunt. Et fati afflictionum.* 1. Cor. 13. *Si linguis hominum loquat & Angelorum.* Quid in tribulatione loqui soleant homines, scimus. Sed quid Angeli? audite repleta erat tota domus fumo, Mai 6. At illi clamant, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus.* Debet solari maritus uxorem, ita non solum patienter adversa ferat, sed etiam ut iis laudet DEUM, ita fecit Manue Judic. 10. Ita Job.

Angelus ad bona opera inducit. Jacebat sub Junipero Elias, venit Angelus, excitavit, *surge, comede, ambula.* Excitet vir uxorem ad S. Communionem, ad Oracionem Zach. 4.
Angelus

Angelus suscitavit me quasi virum qui suscitatur de somno suo. Salciter uxor virum in cultu DEI sommolentum. *Per uxorem fidelem sanctificatur vir infidelis, & econtra, sed quid si à bono avocet! vade retro Sathana,* sicut Tobias reprehendit uxorem quando alienam rem accepit. Sed id modo suavi faciat ut Angelus, auctoritatem suam servet ad judicia, tribunalia. Prov. 31. *Nobilis in portis vir ejus quando sederit cum senatoribus terræ,* In portis olim fiebant judicia, in iis se ostendat Senatorem, sed domi sit maritus. Angeli nos docent, corrigunt, sed quomodo? Job Angelos vocat *astra matutina,* astra dum oriuntur, non statim sunt in altissima parte cœli, illuminant primò viles vapores terreos, paulatim calorem exerunt, nullum cum altero certat ut priùs mundo compareat. Apoc. 5. vidit *Agnum stantem tanquam occisum habentem oculos septem, qui sunt septem Spiritus DEI.* Angeli sunt oculi, sed simul aspiciunt Agnum occisum. Sit uxoris oculus maritus, sit custos: sed simul ipse respiciat quantum debeat Agno. Ita uxorem reprehendat, qualiter se optat reprehendi ab Agno ad cujus mortem concurrat.

Amorem mutuum servant Conjuges. Ps. 103. *Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros ignem urentem.* Ignei sunt Angeli propter amorem, ignis convertit in se lignum, imò & ferrum, amor in se omnia, hinc quæ amamus & pulchra & jucunda putamus, & nobis digna, & nobis æqualia. Cant. *Ecce tu pulcher es dilecte mi & decorus.* Hoc sponsa dicit, nihil illi pulchrum præter Sponsum. Est ipsi columna nubis & ignis dilectus, columna quæ duxit populum DEI, & hæc columna est ab exemplo Angelorum sumpta, quia in illa columna populi fuit Michaël. Sponsa nubes in æstu sponsa, sponsa illuminat per diem. *Equitatus meo in curribus Pharaonis assumilavi te.* Angeli oppresserunt Pharaonem, & sponsa,

nemo dicitur, nemo magis militaris quam meus sponſus, illa ut Abigail defendit maritum, eſſi fuerit Nabal, id eſt, ſtultus, *Equitatu meo aſſimilavi.* Id eſt, Angelis qui involantes in curru Pharaonis eos demerſerunt. Angeli amantes populum D E I.

Si ita fueritis imitati Angelos, erit *Angelus pacis vobiscum.* Eritis ſicut *duæ Olive in domo DEI & Filii veſtri ſicut novella olivarum.* Eritis ſicut *duo candelabra lucentia.* Erit Apoc. 1. *Gratia vobis & pax à ſeptem ſpiritibus qui in conſpectu DEI ſunt.* Quod dum vobis apprecor, verbis illis Tob. 5. utor. *Bene ambuletis, & Dominus ſit in itinere veſtro, & Angelus ejuſ comitetur vobiſcum.*

De Eadem Benedictione.

Qualis eſt differentia inter ablutionem corporis cum balneator affundit aquam, & inter ablutionem baptiſmalem: talis inter Matrimonium Ethnicorum & Chriſtianorum. Lotio balnei abluit corpus ſed non tangit animam: lotio baptiſmi abluit animam. Matrimonium Ethnici eſt contractus, qualem facimus quando cum convenimus, da mihi pannum v. g. ego tibo dabo pecuniam: fac iſtud pro me, ego pro te viciffim faciam. At inter Chriſtianos ſicut baptiſmus eſt Sacramentum ita Matrimonium. Baptiſmus eſt ſignum viſibile inviſibilis gratiæ, eſt & Matrimonium; ille confert gratiam ex Chriſti meritis, confert & iſtud; gratia verò DEI eſt talis, ut in quo reperitur, DEUS illi det eorum. Præterea attrahit auxilia quædam dum per Sacramentum accipitur, ut ope illorum homo plurimum juvetur ad vitanda peccata, virtutum profectum. Propterea debet ad Matrimonium quiſque ſanctè accedere, eo fiet ut numerus ſervorum